Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uideamur quod sit initium decem mandatorum legis. &
si non occurrimus omnia. in tantum saltim prout dominus de-
derit explicemus. Primum ergo mandatum est. non erunt
tibi dii alii praeter me. Et post hoc sequitur; non facies
tibi idolum neque ullam similitudinem. quaecumque;
in caelo sursum & quaecumque in terra deorsum sunt.
& quaecumque sunt in aquis subtus terram; non adora-
bis illa neque coles ea; ego enim sum dominus deus tuus.
Deus zelans. qui reddo peccata patrum in filios in ter-
tiam & quartam progeniem his qui oderunt. & faci-
ens misericordiam in milia his qui diligunt me.
& qui seruant praecepta mea; haec omnia simul
nonnulli putant unum esse mandatum; quod si ita
putetur. non complebitur decem numerus mandatorum;
& ubi iam erit decalogi ueritas. sed si eo modo
dirimatur quo & nos in superiori pronuntiatione distin
ximus. integer decem mandatorum numerus appare-
bit. Est ergo primum mandatum non erunt tibi dii
alii praeter me. secundum uero non facies tibi idolum
neque ullam similitudinem & cetera. Incipiamus
ergo a primo mandato; sed & ego auxilio indigeo
ipsius qui haec praecepit dici ad discendum. & uos pur-
gationibus aequalis auribus ad audiendum. Si quis
ergo uestrum habet aures ad audiendum. audiat quo